

Sibthorp, John ; Smith, James Edward [Editor]: Flora Graeca, sive plantarum rariorum historia, quas in provinciis aut insulis Graecis legit, investigavit et depingi curavit John Sibthorp: hic illic etiam insertae sunt pauculae species quas vir idem clarissimus, Graeciam versus navigans, in itinere, praesertim apud Italiam et Siciliam, invenit (Voluminis septimi - Fasciculus secundus): Vol. VII.

London, 1830

Seite 52

(62)

DIADELPHIA HEXANDRIA.

CORYDALIS.

DeCand. Fl. Fr. v. 4. 637. Pers. Syn. v. 2. 169. DeCand. Syst. v. 2. 113.

Capnoides. *Tourn. Inst. 423. t. 237.*

Calyx minimus 2-phyllus. *Petala* 4; supremum basi calcaratum. *Fructus* siliquiformis, 2-valvis, 1-locularis, compressus, polyspermus; stylo persistente.

TABULA 667.

CORYDALIS RUTIFOLIA.

CORYDALIS caule simplicissimo diphylo, foliis duobus oppositis biternatis glaucis: laciniis ovatis integerrimis, bracteis obovatis obtusis.

C. rutæfolia. DeCand. Syst. v. 2. 115. Prodr. v. 1. 126.

Fumaria rutifolia. Prodr. v. 2. 49.

F. Cypria. Sibthorp in Herb. Banks.

In insulâ Cypro. 2.

Radix ignota. *Caulis* ascendens, simplex, palmaris, glaber, in medio folia bina gerens opposita, tripartita, glauca; laciniarum tripartitarum lobis ovatis obtusis, lateralibus minoribus. *Racemus* simplex, terminalis, foliis multò altior, 6—10-florus. *Bractea* obovatae, cucullatae, foliaceae. *Pedicelli* filiformes, bracteis longiores. *Flores* carnei. *Sepala* minima, ovata, membranacea, denticulata. *Petalorum exteriorum* supremum horizontale, inflatum, calcare cornuto, apice clavato, limbi longitudine; inferius oblongum, canaliculatum, apice reflexum; *petala* interiora alba, aequalia, apice 5-costata. *Stamina* in adelphas duas subulatas connata triandras. *Ovarium* subulatum, cum stylo subulato continuum. *Stigma* maximum, ex icone subhastatum, obtusum, compressum. *Capsula* immatura ovalis, apice stylo acuminata, polysperma. *Fructum* haud vidi.